

Curia Romana

Decreto della Congregazione delle Cause dei Santi con il quale si riconoscono le virtù eroiche e la fama di santità della Serva di Dio María Montserrat Grases García (26-IV-2016)

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

BARCINONENSIS

BEATIFICATIONIS et CANONIZATIONIS

SERVAE DEI

MARIAE MONTSERRAT GRASES GARCÍA

CHRISTIFIDELIS LAICAE

PRAELATURAE PERSONALIS SANCTAE CRUCIS ET OPERIS DEI

(1941-1959)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

“Filia sum Dei”. “Quidquid Tu vis, quando Tu vis, eo modo quo Tu vis”.
“Omnia in bonum”.

Tres hae breves preces, quas Serva Dei Maria Montserrat Grases frequenter recitare solebat, iter eius spirituale summatim perstringunt. Vivida enim conscientia filiationis divinae ipsa ducebatur ad Dei Patris voluntatem amandam et adimplendam, cum plene persuasum sibi esset quidquid a Domino recipimus nostrum in bonum semper vertere.

Maria Montserrat Grases García, familiariter Montse vocata, secunda ex novem filiis Emmanuelis Grases et Emmanuelae García, nata est Barcinone in Hispania die 10 mensis Iulii anni 1941 et novem post dies baptismum recepit.

Infantiam et adolescentiam Dei Serva degit in ambitu sereno familiae christianis principiis plene imbutae. Parentes enim, Operis Dei fideles, iuxta doctrinam Sancti Iosephmariae Escrivá, e domo sua efficere contenderunt christianum larem luminosum et laetum.

Expletis studiis secundariis et frequentatis quoque lectionibus ad plectrocymbalum pulsandum, Maria Montserrat in Schola Professionali publica sese inscripsit. Ei arridebant ludi lusorii, silvestres deambulationes, musica, saltationes populares regionis eius et ludi scaenici. Multi ei erant amici.

Parentes Servam Dei docuerunt cum Iesu Christo fiducialiter se gerere et haud parum contulerunt efformandis praecipuis animi eius lineamentis, qualia sunt laetitia, simplicitas, suipsius oblivio, sollicitudo de aliorum bono materiali ac spirituali. Adolescens, comitantibus aliquibus condiscipulis, visitare solebat familias pauperes Barcinonenses et catechesim pueris impertiebat, quibus aliquando puerilia ludicra vel dulcia donabat.

Vivax erat ac simplex, et si quando acerbe respondebat, testantibus familiaribus ac magistris, ipsa adnitebatur ut mores suos emendaret utque se erga omnes affabilem et festivam exhiberet.

Anno 1954, suggerente matre, frequentare coepit sedem Operis Dei in qua christiana et humana formatio puellis impertiebatur. Paulatim percepit se a Deo vocari ut viam hanc ecclesiam sequeretur et, consultis parentibus, post attentam ponderationem et orationem, die 24 mensis Decembris anni 1957, quaesivit ut in Opere Dei ascriberetur, se totam tradens Deo in “apostolico caelibatu”.

Ex eo vero tempore, Dei Serva impensius usque atque perseverantius sanctitatem quaesivit in vita sua ordinaria. Ipsa sibi proposuit cotidianum ordinem vitae spiritualis qui complectebatur sanctae Missae participationem, Rosarii marialis recitationem, lectionem Novi Testamenti necnon alicuius libri de re spirituali aliasque pias praxes. Coluit quoque profundum spiritum paenitentiae etiam in corporis mortificationibus sponte assumendis atque in diei decursu Deo offerebat tum parva sed frequentia sacrificia tum nisus ad sui animi asperitates moderandas.

Firmum quoque ac constans fuit desiderium eius ducendi ad Deum amicas et collegas. Cotidiana adiuncta et vel ipsi ludus lusorii occasionem ei praebant ut se pro aliis impenderet eisque transmitteret pacem illam quae ex unione cum Deo oritur.

Mense Decembri, anno 1957, dum Maria Montserrat in monte nive strato cum amicis ambulabat, cecidit et ictum in genu accepit, qui primo aspectu visus est res nullius momenti, attamen, dolore non cessante, immo ingravescente, et consultis medicis, tandem mense Iunio anni 1958 diagnosis lata est tumoris

maligni dicti *Ewing* in femore cruris sinistri. Servae Dei parentes notum eidem reddiderunt se hoc morbo insanabili et infaustae prognosim affectam esse; ipsa vero notitiam accepit animo sereno ac spiritu supernaturali, pergens in nisu placendi Deo in ordinariis vitae suae cotidianae adiunctis.

Procedente tempore dolores magis magisque augebantur et Maria Montserrat molestias quas patiebatur Deo offerebat pro Ecclesia, pro Romano Pontifice, pro Opere Dei et pro multis intentionibus quae a parentibus et amicis eidem suggerebantur. Magis de aliis quam de seipsa erat sollicita, neque unquam se praebuit commiserandam, immo eius gaudium in alios effundebatur. Qui eam invisebant ad Deum impulsos se sentiebant fueruntque testes progressionis Mariae Montserrat in unione cum Deo atque transformationis eiusdem dolorum in orationem et apostolatam, nempe in viam versus sanctitatem. Amica quaedam asseruit se intimitatem cum Christo conspici cum eam orantem videbat.

Ex quo admissionem in Opus Dei postulavit, iter versus sanctitatem medias inter res temporales Dei Serva ita intento studio arripuit, ut aegritudo eam paratam inveniret ad heroicis fastigium attingendum in exercendis virtutibus dum dolores in dies augebantur.

Maria Montserrat animam Deo placide reddidit Fera V in Coena Domini, die 26 mensis Martii anni 1959. Duos post dies sepulta est et anno 1994 eius exuviae translatae sunt in cryptam oratorii Sanctae Mariae de Bonaigua, ubi nunc inveniuntur.

Iam ab initio multa fuerunt testimonia de sanctitatis fama Servae Dei, quae nunc diffusa invenitur plures in nationes. Frequentes quoque notitiae perveniunt de gratiis et favoribus eiusdem intercessionis tributis.

Maria Montserrat mortua est adhuc adolescens, decimo octavo suae aetatis anno nondum expleto. Hac brevitate non obstante, vita eius habita est ut Dei donum sive ab iis qui eam frequentaverunt sive etiam ab aliis qui eiusdem notitiam serius acceperunt, quia ipsa muneribus suis ordinariis amore pervasa erga Deum et animas functa est, et sua pietate, suo vultu hilari atque laeto suaeque simplici et heroica generositate, multas animas ad Iesum Christum duxit. Plena eius ac praecox responsio ad vocem Dei amoris plenam exemplum exstat quod multos iuvare poterit, iuvenes praesertim, ut persentiant pulchritudinem sequendi Christum in ordinaria cuiusque vita.

Processus Informativus super fama sanctitatis, virtutum in genere et miraculorum instructus fuit in arcidioecesi barcinonensi ab anno 1962 ad annum 1968. Novis vero promulgatis normis de canonizationis causis, anno 1993 ab archiepiscopo barcinonensi postulatum est ut commissionem peritorum in re historica nominaret ad documenta colligenda et processum dioecesanum additionalem instrueret.

Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, qui locum habuit die 30 mensis Iunii anno 2015, affirmative respondit ad dubium propositum circa heroicam virtutem et famam sanctitatis Servae Dei. Me, Card. Angelo Amato, moderante, sententiam faventem tulerunt Em.mi ac Exc.mi in Sessione Ordinaria coadunati die 19 mensis Aprilis anno 2016.

Facta de hisce omnibus Summo Pontifici Francisco accurata relatione ab infrascripto Cardinali Praefecto, Beatissimus Pater, accipiens rataque habens Congregationis de Causis Sanctorum vota, hodierna die sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine, iisque adnexis in gradu heroico, atque de fama sanctitatis Servae Dei Mariae Montserrat (Montse) Grases García, christifidelis laicae Praelaturae Sanctae Crucis et Operis Dei, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 26 mensis Aprilis a.D. 2016.

ANGELUS Card. AMATO, S.D.B.

Praefectus

L. + S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI

Archiep. tit. Mevaniensis

a Secretis

